

# Motus proprius

S. D. A. D. Pii Papæ quarti Reuocationis  
Bulle olim a Paulo Papæ iiiii. super  
societatibus officiorum initio.



Roma Apud hæredes Antonii Bladii Impressores Camerale.



OTV proprio &c. Cum sicut accepimus fr. re. Paulus Papa Quartus predecessor noster certis tunc expressis causis motus quod nullus tam in curia quam in tota ditione Ecclesiastica Officialis cuiuscunque status, gradus, ordinis, dignitatis, cōditionis, & prēminentiae existeret, tunc, & pro tempore aliquam Societatem super aliquo, seu aliquibus ex Officiis ad tunc suam seu Sedis aut Cameræ Apostolicae, seu Cameratu, Vicecamerarii, Pœnitentiarij maioris, & causarum palatijs apostolici auditoris, dispositione quomodolibet pertinentibus que vendi co-sueuerunt per eum obtinens. pro tempore cum aliqua alia persona seu personis, Communi Collegio, seu vniuersitate, nisi precedente Signatura ab eo, seu Ro. Pont. pro tempore existens, obtineat in qua pacta & conuentiones partium exprimunt deberent pro cuius expeditione, & certa adnotacione medium pro ceterario quolibet Scutorum seu ducatorum cogeretur solute, iuste presumeret, & societates aliter quam sic initæ non valerent, & earum pretextu agi non posse, & forsitan alia tunc expresa sua constitutio ne Motu proprio sub Datum Romæ apud sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo quinquagesimo quinto, nonis Octobris Pontificatus sui anno primo statuerit, & ordinauerit, pro ut in ea latius continetur & habetur. Nos considerantes sicut fidelis relatione perceperimus quod ex huiusmodi constitutione multæ & diuersæ tam nostræ almae Vrbis quam ditionis ecclesiasticæ, & extra eam personæ quæ earum pecunias in societatibus Officiorum huiusmodi contractare solite erant ea prohibitione ut re noua territe earum societates quæ in notabilí numero & ingenti pecuniarum summa existebant statim disdixerunt & reuocarunt, ad extractionemq; pecuniarum sic in societatibus das tarum agere, & Officiales eorumque fideiussores cogere coperunt, & eis ex insisterunt, quo factum est ut Officiales ipsi, & eorum fideiussores, tum etiam ob mala tempora que interuenerunt promptam non habeant quam restituerent pecuniam, nec ab aliis propter huiusmodi Constitutionis difficultatem pecunias in societatem reperirent, eorum officia seu bona alia viliori etiæ precio vendere, & alienare vel pecunias alias sub grauioribus etiam illicitis usuris capre vel petius quod pluribus contingit decoquere, & ab Urbe ausugere, & sic creditores defraudare omnino cogentur, ob quod grauia damna, & incommoda tam Vrbi, quam ipsis particularibus Officialibus, & personis illata fuerint quæ etiam hodie sustinent. Cupientes quantum cum Deo possumus his malis obuiare pro tempore futuro ac Officiales ipsos, & alios interesse putantes ab huiusmodi grauibus, & damnatis usuris condebitis exactionibus liberare, Supplicationibus dilectorum filiorum nostrorum Populi Romani, & Conseruatorum almæ Vrbis nostræ super hoc nobis porrectis inclinati eisque instantibus, & cum eis more pii patris benigne agere volentes. Motu simili ex certa nostra scientia

scientia, ac de apostolica potestatis plenitudine dictam Constitutionem per dictum Paulum quartum ut praemittitur factam cum omnibus in ea appositis clausulis cuius tenorem, ac si de verbo ad verbū insenseretur pro expressis habeti volumus, cassamus, irritamus, & an nullamus, ac pro cassatis, irritatis, & annullatis haberi volumus illamq; viribus tempore futuro penitus euacuamus volentes, & auctoritatē nostra decernentes quod de cetero ipsis officialibus super tamen eos sub officiis societates quascunq; cū pactis tamen licitis & honestis prout & quemadmodum ante constitutio nem praefatam solitum erat etiam nulla a nobis seu Ro. Pont. pro tempore existent, desuper expedita Supplicatione seu Signatura nō tamen ultra valorem officiorum super quibus illas fieri costringat, ita quod ad requisitionem secum Societates contrahentium teneantur in ipso contractu specialiter exprimere alias Societates super eodem Officio contractas si quae sint, & si eas falsò negauerint vel expresserint in toto vel in parte pœnam priuationis officiorum ipsorum super quibus societates huiusmodi contractae fuerint, sine tamen prejudicio creditorum quatenus aliunde illis satisfieri non possit ipso iure incurant. Et nihilominus tam ipsis quam fiduciis desuper præstiti ad satisfactionem Societatum, & debitorum desuper contractorum teneantur, & obligati existant, facere, & inire, ac pecunias recipere, & contractus desuper celebrare, qui alias tamen legitime inici validi, & efficaces existant, & executioni demandari debeant, libere, & licite possint, & valeant licentiam & facultatem concedimus per presentes. Dicta constitutione ceterisq; in contrarium quomodolibet faciētibus non obstantibus quibuscunq; præmissorum omnium & aliorum hic forsū necessario exprimendorum tenores pro plene & sufficiēter expressis habentes,

**Placet Motu proprio. I.**